



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 204. Et cum ducerent eum. v. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

filio Virginis Mariæ & Ioseph tam sancte educato, amatur, praefertur, & adoptatur,

A. A. A. Domine nescio loqui. O qualia, sunt iudicia mundi! Consolare, ô Christiane, cum talia iudicia de te quoque sentis? Cum vides Turcas, Iudæos, Athæos, omnes impios & Hæreticos tolerari à Reformatis, solum te non tolerari, extirpari, memor esto tunc iudicij de Domino IESU facti.

§. 203. *Iesum autem tradidit voluntati eorum. v. 25.*

Non dicit voluntatibus; quia omnium adstantium Iudæorum & vociferantium erat vna eademque voluntas, vt ipsis traderetur innocens IESVS: vt in eo facerent voluntatem suam. At, qualem? diabolicam, discerpendo, vulnerando, cedendo: virgis, flagris, scorpionibus, tundendo pugnis, pedibus, fustibus, armis, illudendo verbis, cachinis, petitionibus falsis, hortamentis, mortificando in anima & corpore, execrationibus, adiurationibus, maledictis, blasphemijs, sputis fœdis & excrementis varijs, coronatione, & tandem, fame, siti, nuditate, baiulatione propriæ crucis, terebratione manuum & pedum: dira eleuatione, & dimissione crucis, donec mors sequeretur nigredine, & horrore infami eum inuoluens, si fieri posset æternum eradendo memoriam eius de terra. Hæc erat voluntas illa, cui Iesum tradidit Pilatus. opera, quæ consecuta sunt, talem illam fuisse voluntatem demonstrant.

S. Alue hora, salue dies, in qua tali sententia lata cœpit mundus redimi! Hætenus prælusum fuit redemptioni isti, nunc incipit salus ipsa prodire, cum pro nocentibus, innocens datur, non solum à Deo, sed & à magistratibus, Dei occultam voluntatem sua malitia implentibus. Interea ego tuam patientiam, tuam charitatem adoro, ô Iesu.

§. 204. *Et cum ducerent eum. v. 26.*

Vt præda facta fuit Christus canibus famelicis: quid putas fecerunt? S. Lucas commotis quasi visceribus transiit acerbissimum modum flagellationum & coronationis & statim properat ad montem Caluarie, quasi præ condolentia non sustineat illa probrosa enarrare.

B. Ene facis, ô sancte Dei amice, scriptor pie, quod silentio tuo ostendis affectum compassionis: impetra mihi & omnibus fidelibus, etiam à B. V. M. cui tu singulariter fuisti familiaris, compassionis affectum quem illa habuit acutissimum,

§. 105. Ap.